

dispensatores timidi, immo corde duplici, & ideo condemnati: quia post votum obtulerunt quasi sua, & non ejus cui semel ea voverant, partemque sibi jam alienae substantiae reservaverunt, metuens famem, quam vera fides non timet; praesentem meruere vindictam, non crudelitate sententia, sed correctionis exemplo. Denique & Apostolus Petrus nequaquam imprecatur eis mortem, ut stultus Porphyrius calumniatur, sed Dei judicium propheticum spiritu annunciat, ut poena duorum hominum sit doctrina multorum. Haec Hieronymus. Origenes (a) quoque non putat adscribendum esse Petro interitum Ananiae, ut ex ejus verbis paulo inferius demonstrabimus. Maximus (b) etiam hanc ipsos commovere iram ait, quia quod Deo promiserant, non reddiderunt: eadem Athanasius (c) tradit de voto, item & Gregorius (d), & alii. Porro non solum, quod quae Deo voverant non praestiterint, eam meruerunt experiri a Deo sententiam, sed & quod (ut ingerit Petrus) mentiti sint Spiritui sancto. Nihil sane in Ecclesia, quae est columna & firmamentum veritatis, tam infausum atque alienum inveniri potest, quam simulatio, cui (e) si semel tribuatur assensus, omnis Ecclesiastica disciplina turbabitur: meritoque tam in hos, quam etiam in Simonem Magum, qui dolose in fide agebat, Petrus disciplinae vigorem exercevit.

(a) Orig. tract. 8. in Matth.
(b) Apud Amb. Ser. 9. & apud Aug. de ver. Apost. ser. 25.
(c) Athanas. ser. de Pass. & Cruce.
(d) Greg. regist. lib. 1. Jud. 9. cap. 33.
(e) Distinct. 27. cap. Nam si.

CCLXV.
Poena ad salutem.

(f) Aug. contra Parm. lib. 3. cap. 1.

(g) Cassian. vol. 6. c. 11.

praesens excepisse sententiam; qua sunt & illi puniti, quos praediximus extitisse sacrilege praevagationis auctores: ut factum est in illo qui sabbato ligna collegerat, vel in Anania & Saphira, qui parum quid de substantia sua clam, infidelitatis errore, servaverant: non quod equalia fuerint pondera peccatorum, sed quia novae transgressionis praesumptores reperti, debuerunt praebere ceteris, quemadmodum peccati, ita etiam poena ac terroris exemplum: ut quisquis ea deinceps affectare tentasset, nosset sibi secundum eam formam qua illi damnati sunt, etiam si in praesenti supplicium differatur, in futuro judicii examinatione reddendum. Haec ille. His denique veluti corollarium addimus, quod Isidorus Pelusiorum (b) ad Orionem monachum in haec verba rescripsit: Non crudelitatis atque amentiae fuit, vir studiosissime, quod sapientissimus Petrus eos qui peccaverant, morte affectis; verum praesentis doctrina multa hominum peccata praesentantis. Nam cum tunc Evangelii sementem facere inceperant, ac statim enata zizania conspexissent: sapienti consilio ea confestim evulserunt, ne una cum tritico aucta, futuro igni ad excisionem servarentur. Ad eundem eum modum dominus quoque Moyses, legem ab initio statim violatam perspiciens, etsi ob exiguum peccatum, saxis tamen eum obrui iussit, qui die sabbati ligna collegerat: Deum videlicet hanc sententiam iussisse scribens. Hucusque Isidorus: ac de his satis.

(b) Isidor. lib. 1. epist. 181.

CCLXVI.
De renuntiatione.

Nunc vero quod ad dictam frequenter collationem pertinet: non ejusmodi fuit, ut quicumque Christianus esse vellet, non aliter id consequi posset, nisi substantia rerum suarum prius vendita, Christo nomen dedisset; vel quod factus Christianus id ipsum praestare compelleretur, sic ut eadem vivendi norma ceteris omnibus, qui credituri essent, Christianis praescriberetur. Nam de Paulo (i) Apostolo constat, Corinthios per epistolam monuisse, sic eos indigentibus elemosynas impartiri debere, ne esset nimis profusa largitio: Non enim (ait) ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex aequalitate. In praesenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat. Sed haec facta sunt ipso exordio nascentis Ecclesiae, privato quodam Spiritu sancti impulsu, & quidem multis ex causis, atque in primis ut excultioris vitae quoddam posteris imitandum formaretur exemplum. Inde enim quotquot religiosiorem vivendi normam sunt amplexati, & ad eandem vivendi rationem ceteros perfectioris vitae cupidos institutos susceperunt, formam sumpsisse noscuntur. Unde S. Augustinus (k) suos alloquens clericos, ait: Quomodo

(i) 2. Cor. 8.

(k) Aug. ser. 50. de diversis modo